

quibus directe relinquere non licebat: quales erant deportati, proscripti, aut alias quavis de causa incapaces. Testator enim adhibitis solennitatibus declarabat, se ei directe bona sua relinquere, qui ea capere poterat: sed clam eundem rogabat, ut sic ea collocaret, quemadmodum inter ipsos convenisset. Fideicommissa namque appellata sunt, quod obligandi vim non haberent, sed sola integritate, fide & amicitia ejus confisterent, cui commissum erat, ut in alium accepta transferret, atque hoc illud est, quod Hieronymus ait in quadam ad Nepotianum epistola, *per fidei commissa legibus illudimus. Cæsar Augustus vero sub initia imperii aut gratia personarum motus (uti textus ait) aut quia per ipsius salutem rogatus heres diceretur, jussit consulibus auctoritatem suam interponere, & jus litigantibus dicere, quemadmodum ipsis æquius videretur.* Hic mos cum inter cives Romanos auctus esset, successu temporis fideicommissa vim & potestatem obligationis acceperant. Tandem Imperator Justinianus jus & potestatem eis parum cum legatis testamento relictis tribuit, statuitque ut nulla inter legata & fidei commissa esset differentia. Unde
 fa-